



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. LVII. Præmia viris fortibus distribuenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAPVT LV.

Missiones militum Romanorum non probanda principi.

Tempus stipendiorum.

Odiosa militaria Romana.

Multi Romanis imbellis.

Seditiones ex diuturna militia.

Sumptus in commoda militum.

Missionum auaritia.

§.1. **L**egitima stipendia erant peditibus anni viginti, equitibus decem, intra illud tempus si quis militia se subduceret, aut mortis reus erat, aut cælus vanibat: Ita Marienus desertor exercitus virgis diu cælus festerio nummo vanijt. Prætorianorum stipendia reuocata sunt ad annum decimum sextum, nauticorum dilata in vigesimū quintum. Hæc temporis longitudo, quæ multis vita est stabilis militiam Romanam, magno detrimento fuit. Nam odiosam eam quam maxime efficiebat, multiq; viris fortibus, vt se ab ea redimerent, occasionem præbebat. Præterquam enim quod laboriosum erat & periculosum, viginti ipsos annos aut viginti quinque, varijs obijci hostibus; ne iustum quidem esse poterat tot centenis millibus domi in theatro sedentibus, aut in agris suis secure agentibus, paucos perpetua militia affligi. Loquor de eis, qui nō volones sed coacti & ex lege nomina sua dabant. Illa in æqualitas Reip. male constitutam exhibebat. Quid enim ipsos viginti annos ad Rhenum vel Istrum ciues relegati, à suis abesse, dum interim domi aluntur in ocio vrbani adolescentes? Verum neq; vile erat Reip. dum enim alij tanto tempore bellis detinentur, ceteros imbelles euadere necesse est. Viris itaq; fortibus Respubl. destituebatur. Imo cum multi vicenis aut tricenis prælijs interessent, ciuitates oppugnarent, velitationibus dimicarent, fame, peste, fugâ minuerentur, pauci omnino emeriti erant, quiq; ad vicena stipendia peruenirent. Multo minus ad vicena quina; cum in classe plures moriantur. Illi autem etsi domū redirent, laboribus fracti, aut mutili pauperesque, & rei domesticæ ignari, parum præstare Reip. poterant. Hinc ab illis seditiones non raro. Suet. c. 49. Quidquid autem vbiq; militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumq; formulam astrinxit definita pro gradu cuiusque, & temporibus militia & commodis missionum: ne aut etate, aut inopia post missionem sollicitari ad res nouas possent. Vtq; perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos prosequendosque suppetere, ærarium militare cum veltigalibus nouis constituit. Et quo celerius ac sub manu annuuntari cognoscique posset, quid in provincia quaq; gereretur, iuuenes primo modici interuallis per militares vias, de hinc vehicula disposuit Commodius id visum est, vt qui à loco eidem perferret litteras, interrogari quoq; si quid res exigerent, possent. Quis dubitet pessime consultum vrbis & regno, in quo illi, qui vicenos annos militiam grauissimam tolerarunt inopia periclitantur.

§.2. Hinc commoda inuenta, vt in colonias ducerentur, & agri darentur, & simul pecunia. Verum graue est quoq; Reip. milites quos viginti annos stipendio aluisset, missos ditare. Statuamus enim singulis annis 4000. Veteranorum mitti singulis dari quina iugera, instrumentum rusticum, seruulum, duplum in Centuriones, triplum in equites conficiuntur 25000. iugerum, quæ si multis annis donentur, necesse est intra breue tempus omne solum ad milites redire. Nec vlla Respubl. potest sine aliorum iniuria tantas largitiones facere. Hoc adeo experientia docuit, cum enim præmia illa repræsentare Respubl. non posset exauctorabantur, & sub vexillis tenebantur, omnium immunes præterquam pugna in hostem. Tiberius auarus imperator ratissimas fecit missiones, ex senio mortem, ex morte compedium expectans. Hinc iusta apud Tacitum querela: quod tricena aut quadragena stipendia senes tolerent. Nec possunt esse fortes, qui tam inuito dolentique animo militiam sequuntur.

§.3. Hinc factum, vt milites, cum se solos laborare, & in se vires imperij esse intelligerent, ceteros vrbis tantum, ius nominandi Imperatoris ipsi arrogarent, atque ad se fere opes omnium rapuerint. Vnde & illud: *Cole milites, ceteros contemne.*

Multo igitur æquius, tutiusq; Volones accipere, aut stipendiorum tempus minuire.

CAPVT LVI.

Inducias interponi & seruari oportere.

§.1. **I**nduciæ pax est castrensis, vt Varro definit, & Gellius l. 1. c. 25. *Induciæ non sunt pax: bellum n. manet, pax cessat, & induciæ in de arbitramur dictas, quasi inde vti iam. Pactum induciarum n. huiusmodi est, vt in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi decur, sed ex eo die postea vti iam omnia belli iure agantur.* atq; Aurelius Opilius in l. librorum, quos Musarum inscripsit inducias definiuit, cum hostes inter se vtrique, vtrique, alteri ad alteros, impune & sine pugna ineunt, vt nomen factum videatur quasi intus & introitus. A pace differunt, quia pax perpetua censetur; Induciæ quamuis longæ certo tempore definitæ sunt. Veientes à Romulo centum annorum impetrarunt, postea quadraginta. Liuius lib. 2. Idigerdes quoque Persæ tutor Theodosij Iunioris constitutus inducias centum annorum pepigit. Niceph. l. 14. c. 1.

§.2. Induciæ dolose ne fiant, vt necessitatem euadatur alter qui in periculo est, sed alia via salus quaeratur. Lyfander perfide Thasiorum eos, qui Atheniensibus fauerant, cum impunitatem promississet, occidit. Polyæn. l. 1.

Improbe Corcyraei, & more gentis, cum enim Argiui se iudicio populi Atheniensis submisissent, ita tamen vt fœdus initum fieret, si fregissent, Corcyraei fugam suaserunt, quod timerent, ne nimis leuiter populus Atheniensis iudicaret, itaque quasi fœdifragi Corcyraei dediti, & omnes occisi sunt. Polyæn. l. 6. Luculli insignis in Lusitanos perfidia fuit, cū velut amicos arma deponere persuasisset, tribus locis constitutos occidit. Non satis honeste factum à Sulla, Archelao, Haldubale, dum per mendacia & simulationem indiciarum euadunt.

§.3. Fiant iustis & æquis conditionibus. Conditiones optimas proposuit Amphipolitanis Brasidas Lacedæmonius, cum enim videret vinci difficulter ciuitatem posse; Atheniensibus abundi facultatem, Amphipolitanis, si cum Lacedæmonijs societatem iniirent, libertatem promissit, Polyæn. l. 1.

Virtute & æqualitate potius ad ineunda pacta pacemque faciendam vtendum est. Scipio virtute Hispanos adduxit, reddita sponsa & pecunia, quæ pro eius redemptione dabatur. Eodem modo Alexander quoque gentes sibi integras adiunxit.

CAPVT LVII.

Premia viris fortibus distribuenda.

§.1. **F**ecere hoc Romani, si vlli vspiam hominum, Polybius. Pulchre autem iuuenes excitant ac prouocant ad pericula sibi erunda. Cum enim occasio se dat, & aliqui eorum fortiter aut animose fecerunt, conuocans Imperator in concionem omnes copias, & circumponens sibi eos, qui auctores egregi facinoris, primum quidem laudes eorum edisserit, & super hoc facto, & si quid aliud in omni vita gesserunt, laude & memoria dignum. Post hæc ei quidem qui hostem percusserrit, hastam donat; qui vero deiecerit & spoliauerit, pediti quidem Phalam, equiti Phaleras, olim autem hastam tantum. Ista vero consequitur non qui iusta acie aut vrbis expugna-

Z z z sione

zione percussit aut spoliaverit hostem, sed qui in excursione aut velitatione aut tali tempore, in quo nulla necessitas fuerit virum periclitandi, qui tunc inquam se sponte & viro se eo dederint. Similiter & qui ciuem aut socium defenderit ac seruauerit, eum & Imperator donis honestat, & Tribuni cogunt seruatos (nisi id quidem viro faciant) seruatores suum coronare. Colit autem nunc, qui seruatus est, per omnem vitam, ut parentem, & omnia ei conferre ac deferre debet, ut si quis esset. Hac tali incitatione porro non solum praesentes & coram audientes prouocant ad certamen & emulationem in periculis, sed & eos, qui domi herent. Nam qui adepti eiusmodi dona, praeter gloriam in exercitu & domi etiam famam; cum redierint in patriam ludosque pompasque conspiciunt inuent. quoniam solus in licet ornamenta hac gestare & imponere, qui ab imperatore virtutis causa, donati sunt. In adibus vero conspectissima earum parte, ponunt spolia, indicia & testimonia sua virtutis. Itaque talis cura & diligentia cum circa praemia, tum circa penas in castris, merito etiam successus militiae felices & illustres apud eos existunt. Quod in omni Republica valet plurimum, praemium & poena, id in militia pollet vniuersa. In his vero praemijs praecium est & honor, haec autem numerantur.

Praemia
praecium
habent &
honorem.
Laudatio.

Primum praemium. Laudatio publica, impetratoria, stantibus in circuitu ducibus, Tribunis, Centurionibus, totoque exercitu, quae ratio nunc in consuetudinem abiit, neque enim Christiani & cultiores aequae ac rustica corda illis encomijs capiuntur. Cum ergo par esset periculum timido & forti, imo maius timido, semper maximum illis periculum est, qui maxime timent, Audacia pro muro. Honos insuper fortes incitabat.

Hasta.

Secundum. Hasta pura. Polyb. *ῥαῖον* vocat *ῥαῖον* erat, ille videtur iuuenis qui nititur hasta: Cur autem sine ferro? quia honoris ergo non pugnandi causa dabatur. Hoc praemium eius, qui hostem deiecerat.

Phalera,
phiala.

Tertium. Qui deiecerit & spoliaverit, pedes phiala, eques phaleris donabatur. Lipsius pro phiala *ῥαῖον* armillas legendum suspicatur. Phalerae & armillae & torques interdum iungebantur. Fallor, an & olim inde didici Enacim, seu Torquatum.

Vexillum.

Quartum. Vexilla. apud Suidam *ὀπίσσω*, quod textus etiam alios significare potest. Apud Vopiscum in Aureliano vexilla quatuor bicolora donata leguntur. Augustus Agrippae post victoriam naualem caeruleum vexillum donauit. Taniae seu insignia adhuc gestantur a milite, & donantur honoris causa: quae saepe mutatae hostem fallunt.

Corona.

Quintum, variae coronae. Ciuica, quae dabatur ei, qui ciuem seruauerat, hostem occiderat. Obsidionalis est gramine, cum exercitus obsidione liberatus. Muralis, qui murum, Castrensis, qui castra hostium primus ascenderat, ea etiam vallaris dicta. Naualis, qui primum nauim hostium incendisset. Rostrata, qui nauale aliquod magnum decus peperisset. Ciuica est quercu, obsidionalis est gramine, aliae ex auro. Et aliae aureae crebro dabantur, ob alia facta. Interdum integris manipulis ista data.

Boues.

Quintum boues. Ita Scipio Laelium donat, Corona aurea & triginta bubus.

Militia honestior.

§. 2. Valebant ea praemia non solum precio, & honore, quia dabantur, sed in posterum etiam utilia. Nam primo gradum faciebant ad honestiorem, lucrosioremque militiam. Quod nunc omnino seruatur, nisi ubi militia est corrupta. Praemia erant in promotionibus ingentia. Veget. l. 2. c. 21. Alexander certantibus praemia magna dedit, nempe Chiliarchias. Alex. ab Alex. l. 1. c. 20.

In triumpho praeferebantur, & semper quidem. De Sicinio refert Valerius lib. 3. cap. 2. Nomen triumphales imperatorum currus secutus, totius ciuitatis oculos in

in se numerosa donorum pompa conuertit. Praeferebantur enim aurea corona octo: Ciuica XIV. muralis tres. Obsidionalis una: torques CLXXXIII. armilla CLX. Hasta XVIII. phalerae XXV. ornamenta etiam legioni, ne dum militi satis multa.

Nec in triumpho modo, sed in equitum transfectione. Imo in periculo, ut Manlius Capitolinus facit. Liuius lib. 6. Decora quoque belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda, spolia hostium castrorum ad XXX. dona imperatorum ad XL. in quibus insignes duas murales coronas, ciuicas octo. ad hac seruatos ex hostibus ciues produxisse, inter quos C. Seruilius Magistrum equitum absentem nominatum, & cum ea quoque qua bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica facta dictis a quando memorasset: nudasse pectus insigne cicatricibus in bello acceptis: & identidem Capitolium spectans, louem Deoque alios deuocasse ad auxilium fortunarum iurum: praeterea esse, ut quam mentem sibi Capitolinam arcem protegenti ad salutem populi Romani dedisset, eam populo Romano in suo discrimine darent: & orasse singulos vniuersosque ut Capitolium arcemque intuentes, ad Deos immortales verfi de se iudicarent.

In equitum
transfectione.

Ad Magistratum quoque aditum faciebant. Liuius lib. 23. Senatus suppletur ex ijs, qui aediles, Tribuni, quaestores fuerant, aut ciuicam coronam accepissent. Denique in ludis publicis conspecti donis suis confidebant.

Ad magistratum
aditum
praestabant.

Nostris non insignia modo dantur, sed ex plebeis equites fiunt, insignibus & nobilitate donantur. Ad praemia pertinet etiam praedarum legitima distributio.

Praeda diuiditur vtilissime aequaliter, uti moris erat apud Romanos. Dionysius l. 7. Scitis omnes quod spolia & praeda ex hostibus, quamcumque virtute nostra adipiscimur, eam lex iubet publicam omnem esse. Nec solum gregarius miles aut priuatus aliquis ius in hanc non habet, imo nec ipse imperator. Sed Quaestor eam accipiens diuidit, & pecuniam in ararium publicum refert. Quam legem, ex quo urbem hanc incolimus, nemo non dicam soluit, sed nec culpa uit. Lycurgus spoliare hostes vetuit, ne miles discederet, & pugnam omitteret. Incommodum prorsus, quia stimulum pugnandi ademit. Et Polyb. l. 10. Est Romanis mos eiusmodi & administratio in expugnationibus oppidorum. Alias enim singulis diebus diuidunt copias iuxta urbem magnitudinem, alias per manipulos distribuunt. Sed sic, ut nunquam plus dimidia parte ad hanc rem adsumant. Reliqui in ordinibus suis manentes sunt in subsidio, interdum extra urbem, interdum in ipsa, ut ut semper tamen se ostendant. Copias vero plurimum diuisas in duas legiones Romanas, in duas alas sociales (raro enim omnes quattuor legiones simul conueniunt) omnes qui ad praedam & raptus destinati sunt, ferunt quisque ea quae ceperint ad suas legiones vel alas. Quo facto tribus aequaliter omnibus diuidunt, non solum in qui in praesidio aut subsidio fuerunt, sed & qui castra seruauerunt: itemque agris, sauciis, aut ad munus aliquod alio missis. Quod vero nihil fraudatur sine aut subducturi e praeda, id omnes iurant, cum primum in castra veniunt utiri ad bellum. quia de re pluribus dictum est a nobis in iis quae de Republ. scripsimus. Ceterum cum sit dimidio militum pars ad praedam discurret, dimidia seruatis ordinibus in curat & subsidium, nunquam euenit periclitari Romanos de summa rerum. Spes enim lucri certa inter omnes, siue maneat, siue praedas agant, diuine ordinis nemo locum ordinemque deserit. quae res saepe noxa alius solet non desesse. Ciues & socii aequa sorte praedam partiebantur, tum quidem factum, at postea mutatum, & cupidine praedae miles incitatus est, nunc fieri aliter vix potest, cum tam diuerse sunt in vno exercitu nationes.

Praedarum
distributio.

Praeda cupi-
entium
dine ordinis